

hujusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censi ut, necessitate suadente, dissolvi non possint... „ Quaestionem hanc fusius non tractabimus, cum mere speculativa sit : omnes enim consentiunt de effectibus dispensationum, litigant tantum de ratione qua isti effectus explicandi sint. Ipsa S. Sedes, in praxi sua hodierna, renuit concedere expressam dissolutionem matrimonii in infidelitate contracti et a dirimenda lite speculativa in suis responsis cavet.

IV. Conjuges infideles separationem a toro vel habitatione facere possunt, quando occurrit inter eos aliqua e causis quae supra pro conjugibus fidelibus probatae sunt. (n. 556 seqq.) Quando autem una pars ad fidem conversa est, nequit generali regula definiri, num cum parte quae manet infidelis in cohabitatione pergere possit vel debeat. Ab ea sane separari debet, si ex ejus consortio timet proximum gravis peccati periculum, vel si episcopus judicat, pro moribus regionis et casus circumstantiis, non esse permittendam cohabitationem, puta quia propter vigentia castarum praejudicia, manifestum est promissa violatum iri. (Coll. P. F. n. 2183 ; Bened. XIV, de Syn. l. 13. c. 21. n. 1) Probabilius autem nulla datur per se stricta obligatio pergendi in cohabitatione. Ut enim rescripsit S. Inq. (29 Nov. 1882) : “ Quodsi (episcopus) nullum esse periculum in cohabitatione viderit, jubeat exspectare infidelem vel etiam consulat cohabitare, si prodesse intelligit juxta Pauli Apostoli *consilium*. „ (Coll. P. F. n. 1358)

N. B. Interdum, in regionibus praesertim maxime barbaris, infideles ipsam velut notionem matrimonii amiserunt et tantummodo ad tempus, ferarum more, junguntur. (n. 459) Sed diligens examen in singulis casibus instituendum est ut constet num reapse numquam intenderint se vinculo perpetuo cum uxoribus suis unire. Non requiritur tamen plena certitudo de defectu consensus ad validum matrimonium requisiti. Nam cum iis qui ab infidelitate convertuntur, licet in dubio de valore matrimonii ante contracti eam sequi opinionem quae sit magis favorabilis neophytis, siquidem ; “ In re dubia in favorem fidei pronuntiandum esse, constans regula est. „ (Bened. XIV, Litt. 15 Dec. 1761) Ideo S. Inq. 8 Jun. 1836 (Coll. P. F. n. 1332) pro infidelibus requirit tantum “ ut *serio dubitari possit* matrimonia hujusmodi ad instar belluarum censenda esse „ , et similia respondit 18 Maii 1892. (Coll. P. F. n. 2185)

## APPENDIX.

## DE DIVORTIO CIVILI.

561. I. *Lex civilis* quae jubet divortium ob certas quasdam causas pronuntiari, nullo habito respectu ad verum vinculum matrimoniale, in se mala est. Usurpat enim auctoritatem in causis quae privative ad solos judices ecclesiasticos pertinent. (Trid. Sess. 24. de Sac. Matr. can. 12) Insuper per se ducit ad mala gravissima, vid. ut, cum juribus et honore legitimi matrimonii, foveantur nexus adulterini ab iis qui divortium mere civile obtinuerint, ut sanctitas et indissolubilitas matrimonii christiani obfuscet, ut liberi adulterini pro legitimis habeantur, etc. Quandoque adeo omnia pervertit lex civilis, ut vetet quominus conjuges, semel divortio separati, umquam iterum conveniant cum legitimi matrimonii juribus. (C. C. a. 295)

II. Probabilius non est intrinsece mala *pronuntiatio divortii* inter fideles, qui legitimo matrimonio conjuncti sunt. Ita sentiunt Ball. P. (n. 818 seqq.), Allègre (*Le Code civil commenté*, t. I. 1<sup>re</sup> partie, p. 302 seqq.), III. Waffelaert (N. R. Th. t. 14. p. 600 seqq., etc.), Sabetti (n. 559 seqq.), De Becker (op. cit. p. 401 seqq.), etc. contra Bucceroni (Enchir. Mor. 1<sup>a</sup> edit. p. 219), Gasparri (Caus. de Matr. n. 1248), Matharan (op. cit. n. 125), Rosset (de Sacram. Matrim. n. 4085 seqq.), etc.

Ratio asserti est : non esse intrinsece malum id quod in essentialibus suis elementis nullam repugnantiam involvit cum lege morali. Jamvero civilis divortii pronuntiatio spectata in se, seu independenter ab intentione legislatoris et eorum qui divortium petunt vel pronuntiant, nullam hujusmodi repugnantiam involvit. Etenim in se spectata nihil aliud est quam destructio effectuum civilium qui per civile matrimonium inducti sunt. Igitur, sicut matrimonium civile potest se habere omnino indifferenter relate ad vinculum veri matrimonii christiani, ita ejus destructio per sententiam divortii potest esse plane indifferens ad idem vinculum conservandum.

Divortii pronuntiationem malam fieri posse ex perversa intentione eorum qui illam petunt vel efficiunt, manifestum est : sed patet quoque hujusmodi intentionem ab eadem prorsus separari posse, etiam quando ii qui hujusmodi civilem separationem postulant, legitimo matrimonio juncti sunt. Possunt enim illam petere, quia aliter obtinere nequeunt aliquos effectus ad quos in conscientia jus habent, ex. gr. separationem

a conjuge adultero vel apostata. Neque divortii pronuntiationem necessario et intrinsece ingreditur intentio legislatoris, qui divortio vult solvere ipsum matrimoniale vinculum, quasi nullum aliud exstaret nisi quod matrimonio civili inductum sit. Nam idem prorsus est spiritus legislatoris in matrimonio et in divortio civili: sicut, pronuntiato divortio, lex civilis virum et mulierem spectat tamquam omnino solutos, licet inter eos canonicum matrimonium intercedat, ita inito matrimonio civili, lex eos spectat tamquam legitime conjunctos, etiamsi nullum praecesserit vel sequatur matrimonium canonicum. Jamvero, etiam in iis regionibus in quibus lex a vero vinculo prorsus abstrahit, Ecclesia matrimonium civile a catholicis iniri permittit. Ergo, sicut in contrahendo matrimonio civili potest catholicus abstrahere a perversa legislatoris mente, ita ab eadem abstrahere poterit dum divortium petit vel pronuntiat. (Ball. P. n. 822)

Nec dicas (Rosset, l. c. n. 4094): protestationem qua iudex suum interventum restringat ad effectus mere civiles non admitti a legislatore adeoque nihil operari, perinde ac protestationes sacerdotum qui, tempore perturbationis Gallicae, juramentum fidelitatis Constitutioni civili cleri Gallicani praestabant tantum quatenus eadem Constitutio non adversabatur fidei et Ecclesiae juribus. Etenim, licet sensus quo iudex catholicus divortii sententiam pronuntiat, non referatur in acta publica, fieri potest et, saltem in quibusdam regionibus, reapse factum est, ut communiter ab omnibus civibus intellegatur iudicem non nisi ad graviora mala vitanda proferre sententiam, cujus solus effectus essentialis et necessarius sit destruere civile matrimonii vinculum, et prorsus permissivo se habere ad actus intrinsece malos quos, civiliter separati, legis improbitate abusi patraturi sint. Haec autem communis existimatio efficere potest ut jam nullatenus imputetur legem exsequentibus prava legislatoris intentio. Quare fallaces sunt similitudines deductae ex aliarum legum iniquarum executione, cui communis existimatio forsansensum prorsus diversum et plane pravum adnectebat, nulla privata protestatione eliminandum, ut revera contigit de juramento fidelitatis Constitutioni cleri Gallicani. Cfr. Vol. I. n. 358.

Ad probandam intrinsecam divortii civilis malitiam recurritur praesertim ad plura responsa data pro Gallia ab anno 1884, quo nefaria divortii civilis lex in ista regione restituta est: quae videsis ap. Gasparri. (l. c.) Sed infirmum est hujusmodi argumentum. Nam:

1º Ipsa S. Sedes significavit Belgico gubernio per Nuntium Bruxelensem: "Congreg. S. Officii declarasse decretum 27 Maii (1886) non spectare ad Belgium, ideoque nihil esse in hac regione mutatum in quaestione de divortio." Hinc saltem concludere licet: S. Sedem noluisse hoc decreto (quod ob severitatem suam multorum animos

commoverat) declarare univere illicitam esse divortii civilis pronuntiationem vel petitionem. Merito igitur varia illa responsa, quae praesertim ad casus particulares referebantur, spectamus tamquam ad peculiaria adjuncta Galliae pertinentia. Frustra aliqui (Matharan, op. cit. n. 127; Rosset, op. cit. n. 4091) hujus responsi vim enervare conati sunt, contententes id unice de facto, minime de jure intellegendum esse. Sed hanc interpretationem, tamquam indignam S. Sede dissimulationem, merito rejiciunt etiam paulo severiores AA., ut Feye. (op. cit. n. 584)

2º S. Poenitentiaria interrogata num maritus aliquis posset petere divortium ab uxore adultera, intendendo tantum abrumpere effectus mere civiles, cum nullum aliud medium suppeteret obtinendi repudiationem paternitatis circa filios adulterinos horumque exclusionem a parte prolis legitimae, 30 Jun. 1892 respondit: "Orator consulat probatos auctores." Plurimos autem eosque probatos auctores censere ob gravissimas causas licere divortii petitionem, satis notum erat S. Poenitentiariae.

3º Nihil mirum est severius in una regione, mitius in alia urgeri prohibitionem petendi vel pronuntiandi civile divortium. Hujusmodi enim discrimina reperiuntur in multis argumentis, quae ad materialem cooperationem rei malae referuntur. Cfr. Vol. I. n. 236 seqq.

Jamvero, in causa divortii, obvia est discriminis ratio inter regiones in quibus nuper, detestando impiorum ausu, restituta est lex divortii, ut in Gallia contigit anno 1884, et inter regiones in quibus jamdiu eadem nefanda lex viguit, ut obtinet in Belgio et Stat. Foed. Amer. In his enim regionibus jam nulla spes affulget, denegata quacumque cooperatione, legem abrogatum iri; scandalum autem evanescit cum norint omnes qua mente fideles divortium petant, catholici magistratus et advocati hujusmodi causis manum admoveant, etc.

562. III. Quamvis pronuntiatio divortii in se sumpta indifferens dici possit, apta tamen est ad nefanda consecutaria post se trahenda, quando agitur de fidelibus qui legitimo matrimonio uniuntur. (n. 561) Ideo iis omnibus qui pronuntiando in his adjunctis divortio operam dant, applicandae sunt regulae datae (Vol. I. n. 235) de cooperantibus actioni malae. Non licet igitur tale divortium petere, pronuntiare, promovere, etc. tamquam rem prorsus indifferentem, sed semper requiritur causa excusans, cujus gravitas commensuranda est efficaciae influxus in divortium inducendum, gradui plus minusve remoto cooperationis, spei impediendi malos effectus si cooperatio denegaretur, etc. Subjicimus his praecipuas applicationes practicas:

1º De conjugibus.

a) Ubi simul cum divortio viget separatio quoad habitationem et bona

(ut in Belgio et Gallia), non licet conjugibus valido matrimonio junctis petere divortium, si finem quem intendunt sufficienter assequi possunt per hujusmodi separationem : desinit enim justa ratio petendi divortii proprie dicti.

b) Quandoque gravissima mala, puta liberorum educatio patri impio, qui prior divortium petierit, a tribunali committenda, etc., vitari non possunt nisi pars catholica non tantum separationem praedictam, sed verum divortium petat. In hoc casu censemus probabilius id licite peti (Allègre, l. c. p. 315; De Becker, op. cit. p. 410) : conjux enim non tenetur pati gravissima mala ut vitet sat leve damnum commune quod ex ejus petitione fluat.

c) Saepius licebit petere divortium in regionibus quarum leges separationem praedictam non continent, ex. gr. in plerisque Stat. Foed. Amer. Etenim crebrius ibi continget nullum aliud suppetere medium ad obtinenda gravissima bona ad quae conjux jus habeat. Sed cavendum ab abusibus. Cfr. Conc. Baltim. III. nn. 124 et 126. (1)

#### 2º De advocatis.

Advocati, cum sint clientium cooperatores, licite possunt pro causa divortii dicere quotienscumque conjuges illud licite petunt. Quodsi conjuges illicite petant, ex. gr. absque causa canonica vel cum manifesta intentione aliud matrimonium civiliter ineundi, advocatus graviter peccat eos adjuvando, saltem si prorsus libere et lucri tantum captandi gratia operam suam locat. Quodsi, in casu utique rarissimo, advocatus hujusmodi litem detrectare non posset quin gravissimum damnum pateretur, ex. gr. exclusionem ab advocatorum censu, posset cooperatio excusari, modo non petatur in contemptum religionis. (Allègre, l. c. p. 316)

#### 3º De iudicibus.

a) Judex omnino tenetur adhibere media quae moraliter possibile sunt, ut a sententia divortii pronuntianda abstinere queat, ex. gr. conari ut partes reconcilientur, vel separationem quoad habitationem et bona contentae sint.

b) Si frustra cadunt illi conatus, nec potest judex a sententia divortii pronuntianda abstinere sine gravissimis malis, qualis esset praesertim muneris amissio, censemus talem sententiam non esse per se illicitam, etiamsi judex norit perversam intentionem partium, quae adulterinos nexus appetant. Urget enim ratio vitandi gravissimi damni, non tantum particularis, sed communis. Etenim, cum hujusmodi casus non ita infre-

(1) Auctoritate hujus Conc. lata est excommunicatio, Ordinario reservata, ipso facto incurrenda ab iis qui, postquam divortium civile obtinuerint, matrimonium ausi fuerint attentare (n. 124), et sub gravi prohibitum est iis qui matrimonio juncti sunt ne, inconsulta auctoritate ecclesiastica, tribunalia civilia adeant ad obtinendam separationem a toro et mensa. (n. 126)

quentes sint, vix auderet catholicus vir iudicis partes suscipere, si nosset huic muneri renuntiandum esse potius quam ullum divortium pronuntiet. Talis autem remotio honorum a muneribus tanti momenti cederet in summum reipublicae damnum, immo et in multiplicationem divortiorum.

#### 4º De aliis magistratibus, puta Syndico, Burgimagistro, etc.

a) Si quis magistratus, post iudicis sententiam, divortium proclamare debet, ejus cooperatio iisdem regulis substat quae modo de iudicibus datae sunt : nam fere par est eorum condicio, licet magistratus iste paulo minorem influxum in divortii pronuntiationem exerceat quam iudex.

b) Si conjux, valido matrimonio junctus, post obtentam civilis divortii sententiam, alias nuptias, vivente comparte, attentat, communiter tenent AA. etiam benigniori sententiae faventes (ut Ball. P. n. 825) semper illicitum esse magistratui ut adulterum illum cum nova comparte civiliter jungat. Atque in hunc sensum allegantur duplex responsum S. Inq. (11 Dec. 1850 et 27 Maii 1886) (1), et solutio casus a S. Poenit. data pro Syndico quodam Italico 28 Nov. 1883. Nec dubium est quin multo gravior ratio requiratur ad cohonestandam hujusmodi cooperationem quam ubi matrimonium absolute consistere potest inter eos qui prius mere civiliter jungantur : agitur enim de juribus legitimi matrimonii publice tribuendis adulterio. Quidam tamen AA. (Gennari, Cons. Mor. 41; Gasp. n. 1231) dubitant num assistentia Syndici in hujusmodi matrimonio civili sit intrinsece mala : quia non satis constat utrum praedicta responsa rem in se malam esse declarent an significant tantum, in concretis adjunctis quae proponebantur, tam scandalosam fuisse illam cooperationem ut ob nullum incommodum vitandum excusari posset. Ex his etiam patet quid sentiendum sit de officio testis in hujusmodi mere civilibus matrimoniis obeundo. Multo minor est testis quam iudicis influxus in malum patrandum, sed vix umquam in eodem officio denegando aderit gravissimum illud incommodum ob quod praedicti AA. dubitant num iudicis interventus excusari queat. Cfr. n. 508. III.

IV. Si pater vel mater, susceptis e matrimonio valido liberis, aliud matrimonium mere civile init et ex eo prolem suscipit, dubium oriri potest quatenus haec proles in hereditate paterna vel materna **partem cum legitima prole obtinere** queat, sive per testamentum parentis, sive e legis civilis dispositione, qua legitimi censebuntur liberi ex adulterio vel fornicatione nati.

(1) Resp. 11 Dec. 1850 (Coll. P. F. n. 1525) datum est de sacerdotibus catholicis qui, tamquam magistratus civiles, matrimoniis haereticorum intersint : quare minus apte allegatur ad solvendum casum in quo peculiaris ista scandalosae cooperationis ratio desit.

Jamvero cum Lehmk. (II. p. 804 seqq.) opinamur istos liberos non peccare *contra justitiam*, ac proinde a restituendi onere immunes esse, dum partem hereditatis sibi devolutam acceptant. Etenim neque ipse parens *contra justitiam* peccat dum iis per testamentum tribuit partem quasi legitimi forent (Vol. I. n. 677) : multo igitur minus illegitimi dum oblatam partem acceptant. Neque moraliter mutatur casus si parens abstinere a testamento conficiendo : cum enim noverit tunc lege civili illegitimos legitimis aequiparari, hanc aequalitatem inter eos tacite inducit dum, in iis adjunctis, a testando abstinere. Hinc etiam facile patet eidem proli illegitimae fas esse aggredi testamentum parentis tamquam invalidum, si dubium est dispositionem quae impugnatur esse revera ultimam defuncti voluntatem : nam illegitimi possunt prosequi jus quod ipsis competat ex alio ejusdem testamento vel ex eo quod parens ab intestato obierit.

Ubi vero constat testamento quodam exprimi ultimam parentis voluntatem, illegitimus qui illud aggrediretur, puta quia ipsi non tribueretur integra pars legitima, certe peccaret contra pietatem, immo etiam contra justitiam. Etenim ex quo parens clare manifestavit quomodo bona sua inter descendentes suos legitimos dividi velit, hi, defuncto testatore, jus strictum ad partem sibi tributam obtinent. Injuste igitur ageret qui ad hoc jus ipsis auferendum, videretur lege quae, in foro conscientiae, aperte nulla et inhonesta est, dum prolem adulterinam legitimae exaequat et impedit ne parens repararet, quatenus fieri potest, detrimentum legitimae proli illatum dum adulterinos nexus appetivit. Cfr. N. R. Th. t. 2. p. 569 seqq. Neque putamus contrariae sententiae probabilitatem conciliari iis argumentis quae Lehmk. (l. c.) haesitabundus in ejus favorem promittit. Non enim videtur ad rem esse praecipuam rationem quam affert : non certo peccari contra justitiam commutativam, si effectus civiles attribuantur certis matrimoniis civiliter agnitis, lege civili plane abstrahente vel non attendente utrum matrimonia valeant coram Deo necne ; quodsi propterea conjuges impediuntur, quominus possint postea de bonis suis liberius et coram conscientia melius disponere, hoc impedimentum esse quasi poenam peccati temerarie contra legem divinam commissi. Absonum enim videtur poenam peccati cernere in dispositione qua quis impediatur quominus culpae praeteritae sequelas repararet, quatenus reparari possunt. Neque hac impossibilitate, quae ad legem in se profecto malam consequitur, ullatenus infirmari censemur rationem supra datam ad probandam injustitiam illius qui, ejusdem legis ope, conaretur eripere proli legitimae jus sibi e rationabili parentis voluntate quaesitum. Fieri quidem potest ut, ubi multis et diversis sectis gens quaedam dividitur, catholici nequeant legislationem iniquam de divortio mutare. Verum non videmus quare, propter hanc impossibilitatem, excu-

sentur a verendo jure quod lex civilis non nisi per apertum et scandalosum legitimi matrimonii contemptum impetere potest. In praxi tamen cavendum ne sine spe fructus, bona fides, quae facile in tali argumento exurgit, perturbetur.

Quodsi parentes matrimonio mere civili juncti non relinquunt nisi liberos e tali unione natos, censemus hos posse, tuta conscientia parentibus illis ab intestato succedere, neque teneri ad hereditatem cedendam aliis consanguineis, puta fratri vel sorori patris aut matris suae. Etenim hic iterum invocari potest tacita bonorum transmissio ad istos liberos naturales, dum parens, in iis adjunctis, a testamento scribendo abstinuit. Insuper cum iidem liberi non concurrant cum aliis legitimis, sed tantum cum collateralibus, accedit ratio desumpta e jure quod naturaliter quibuslibet liberis inest ad succedendum parentibus suis nec ullo potiore jure legitimorum, in casu, excluditur. Cfr. Berardi, Prax. Conf. n. 2766.